


00  
A  
341

P. e. 99

J. VII, 895.

~~III 449 9 V 17~~



ΣΥΝΘΕΩ

De

BONIS OPERI-  
BUS, ET EORUM QVI-

DEM, TUM A' FALSO' SIC DICTIS

disparitate, tum necessitate, tum  
utilitate.

*Disputatio Theologica.*

Quam

*Duce Spiritus. n̄cto, Magistrâ scripturâ & comite precatone*

PRÆSIDE VERÒ:

*Reverendo & Clarissimo Viro*

Dn. JOANNE HIMMELIO

Pomerano, S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ.

fautore suo observando,

*Pro consequendis in Theologiâ honoribus &  
privilegijs Doctoralibus,*

Decreto & autoritate inclutæ Facultatis Theolo-  
gicæ in celeberrimâ Salanâ,

*Publica censura submittit:*

M. REINHARDUS BAKIUS, S. ME-

tropol. Magdeb. Eccles. Pastor.

*Ad diem 29. Octob. horis pro- & pomeridianis.*

J E N Æ

*Typis Tobie Steinmanni, Anno 1617.*



*Summè Reverendis, antiquâ generis nobilitate, ze-  
lo cæli religioso, eruditione, prudentiâ, autoritate nec  
non virtute multiplici Amplissimis Præ-  
stantissimisque Viris*

**Dn. CHRISTOPHORO**

ab HUNIKEN, Decano,

**Dn. TITO à MOLLEN-**

DORF, Seniori,

Ceterisque florentissimi Primatus & Archiepi-  
scopatus S. Metropolitanæ Magdeburgensis Ec-  
clesiæ Dominis CANONICIS laudatissimis,  
Dominis meis clementibus, summâ ani-  
mi observantiâ mihi perpetuò  
colendis,

*Hanc disputationem meam Doctorem  
in grati animi σύμβολον,*

Unâ cum devoto voto, pro vitæ singulorum  
longævitate, corporis sanitate, gubernationis  
tranquillitate & tandem beata æternitate

*Do, dico, dedicoque*

M. Reinh. Bakius Autor



Σὺν Θεῷ,

Disputatio Theologica

DE

# BONIS OPERIBUS.

THESIS. I.



Articulus Augustanæ Confessionis sextus ita habet: *Docent* (Ecclesiæ nostræ) *quòd fides bonos debeat fructus parere, & quòd oporteat bona opera, mandata à Deo, facere, propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri, &c.*

II. Quibus verbis, quemadmodum bona opera, *fructibus* comparantur, fides autem *arbori*; Sic sanè hujus similitudinis usus, in sacris frequentissimus est, ceu videre, Matth. 3. v. 8. & 7. v. 17. Joh. 15. v. 2. Rom. 7. v. 4. Col. 1. v. 10. Heb. 6. v. 8. & alibi, ubi Metaphorica isthæc appellatio suâ non caret elegantia.

III. Nam, verâ mediante *FIDE*, justus ut palma *Arbor Fidei* virefeit crescitq; sicut Cedrus in Libano, Psal. 92. vers. 13. *Radix fidei Dei* agnitio est, Rom. 10. v. 14. Sapient. 15. v. 3. *Rami* sive frondes sunt & Assensus, & Fiducia, & Applicatio: *Fructus* sunt opera, quæ propterea dicuntur, jam *fructus Spiritus*, Gal. 5. v. 22. jam *fructus pœnitentiæ*, Matth. 3. v. 8. jam *fructus justitiæ*, Phil. 1. v. 11. jam *fructus ejus* quæ è supernis est, *sapientiæ*, Jac. 3. vers. 17. & deniq; *fructus fidei*, quæ per charitatem operosa est & negotiosa, Gal. 5. v. 6.



En tibi pulchram arborem, ubi laudes fructum boni operis,  
sed in fide agnoscas radicem. August. in Psal. 31.

IV. Non autem indifferenter opera quævis, quæ  
pro bonis venditantur, verè bona sunt; sed ea tantum,  
quæ, ut Augustana loquitur Confessio, à Deo mandata  
sunt & propter Dei sunt voluntatem, unde talis bonorum  
operum (quatenus videlicet sunt Effectum seu fructus  
justificationis gratis per Christum factæ) emerget defi-  
nitio:

Definitio

B. O. causa-  
lis.

B. O. sunt actiones Renatorum tam interiores quam  
exteriores, per Spiritum sanctum, ex verâ fide, juxta Dei man-  
datum & legem factæ, hoc fine, ut Altissimo honor, obedientia &  
gratitudo debita præstetur.

VI. Habemus hîc (1.) causam efficientem principa-  
lem, habemus (2.) causam propinquam & subiectum; habe-  
mus (3.) causam formalem; habemus (4.) adjunctam qua-  
litatem; & tandem (5.) geminum bonorum operum finem.

VII. Causa efficiens principalis bonorum operum  
est Spiritus S. mentem verbo illuminans voluntatemq;  
spiritualiter renovans, Psal. 51. vers. 12. Efficiens propinqua  
itemq; subiectum B. O. sunt Renati, fideles nimirum per  
Spiritum sanctum regenerati, & ad benè operandum ab eo  
incitati, Rom. 8, v. 14. Forma diverso respectu est *Convictio*,  
seu Conformitas cum Lege, & Fides, ex qua opera de-  
bent procedere, cum impossibile sit sine eâ Deo placere,  
Hebr. 11. v. 16. & sine fide etiam quæ videntur bona opera in  
peccatum vertuntur, inquit August. l. 3. ad Bonif. c. 15. Qua-  
litas est, ut B. O. fiant, 1. juxta Dei mandatum, id quod fides  
respicit, 2. juxta legem, quæ non externam modò, sed &  
internam requirit obedientiam, & tandem finis B. O. est,  
vel summus, nempe Dei gloria Jer. 9. 23. Psal. 115. 1. Matth.  
5. 16. vel intermedius, nostræ videlicet gratitudinis erga

Altis-



Altissimum declaratio, & tum Nostri tum proximi ædifi-  
catio; *vera enim virtutes Deo servantur in hominibus, à quo  
donantur hominibus, August. l. 4. contra Jul. c. 3.*

VIII. Quibus ita positis, jam, cum bono Deo, *Sub dispu-  
tationis in-  
eudem ho-  
catur, di-  
sparitas 2.  
necessitas  
3. utilitas  
B. O.*  
ordine videbimus ea, quæ principaliter disputantur,  
1. circa *differentiam* seu disparitatem, 2. circa *necessitatem*,  
3. circa *utilitatem* bonorū operū. Hæc dū positionibus hi-  
sce expedito, boni venatoris munus me tentare, Lector  
quâ mentem candidus, quâ frontem benivolus omninò  
rebitur; Ejus est in magna sylva indaganter aliquid ca-  
pere, nec cuiquam culpæ unquam fuit feras omnes non  
cepisse, docente & dicente Columella, l. 5. c. 1. cujus au-  
toritate ut muniore, sic opus equidem & artibus & parti-  
bus meis ferè impar molior, sed Tu

*Et mentem & calamum rege Numen, amabile Numen,  
Error eat, verbi lux micet alma Tui,  
Tu mihi si genium, vires, si dem seris artes  
Nil sum, nil possum, nil scio, nil habeo.*

## CONTROVERSIA DIFFERENTIÆ ET DISPA- RITATIS OPERUM.

IX. Cùm actiones renatorum sint & fiant effi-  
caciâ Spiritus S. prælucente verâ in Christum fide; mul-  
tis utiq; modis virtuosa Ethnicorum facta à bonis Chri-  
stianorum different operibus: *Efficiente scilicet, cum il-  
lorum causa sit natura; horum verò gratia: Subiecto et-  
iam, cum illa in homine infideli & non renato: hæc verò  
infideli & regenerato reperiantur: item formâ, quæ in illis  
est, convenientia cum lege natura & rectâ ratione: In his ve-  
ro convenientia cum Lege Morali suffulta: FIDE, ob  
quam*

quam persona reconciliata omni q̄, ejus opera Deo placent: Et tandem *Fine*, qui in illis propria fuit gloria, juxta illud Virg. de Bruto: *Vicit amor patria, laudumq̄ immensa cupido*; In his verò solius Dei laus & honor, Psal. 115. vers. 1. Matth. 5. v. 16. 1. Cor. 10. v. 31. Phil. 1. v. 11. Col. 3. vers. 17. 1. Pet. 2. v. 9. 12. &c.

*Virtutes  
Ethnicorum  
& Christianorum  
non solis  
differunt  
subjectis.*

X. Levior ergo, quàm quæ admitti possit, est illorum sententia, qui existimant, gentilium & Christianorum virtutes differre non realiter, sed subjectis modò, id quod hoc declarant simili: Quemadmodum unus & idem liquor, diversis exceptus vasis, distinctionem capit ex vasis, quibus continetur, qui enim putrido vase excipitur, licet cum altero, vase bono excepto, ejusdem sit essentia, attamen foetore vasis infectus, deterior est, imò malus & usui hominum minus conveniens: Sic etiam, gentilium & Christianorum virtutes unius ab ipsis putantur & ejusdem essentia, sed quæ in Ethnicis sunt, illas propterea Deo exosas censent quia vitium contraxerint ex homine fide non depurgato. Sed illa quæ omnibus causis differunt, an è solo subjecto differunt? Adhæc, quot quæso virtutes Christianorum propria Ethnicis, prorsus ignotæ fuerunt, ut sunt: Fides Christiana; Misericordia divinæ propter Christum promissa fiducia; Invocatio Dei vera; Spes æternæ vitæ indubia, cæteraq̄; in prima Decalogi tabula expositæ, quarum nec Cicero in Officiis, nec Aristoteles in Ethicis, mentionē ullam fecerunt, etiam ex professo virtutum doctrinam profitentes.

XI. Ideoque etsi gentilium virtutes, ceu fuere; Temperantia Socratis; Justitia Aristidis; clementia Julii Cæsaris, Continentia Scipionis, Castitas Lucretiæ, &c. præceptæ sunt à Deo, atq; hoc nomine, secundum *apparentiam*, ratione τῆς φύσεως, vel, ut loquuntur, juxta operis

ris

ris substantiam, actiones politicè bonæ sunt *coram mundo*; tñs *wisew* tamen respectu, atq; sic subjecti, objecti, finis, aliarumq; circumstantiarum errore fit, ut Theologicè *coram Deo* sint peccata:

*Omne etenim pietatis opus, nisi semine veritatis,  
Exoritur fidei, peccatum est inq; reatum  
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.*

rectè ex dicto Rom. 14. v. 26. Prosper canit. Hinc Bernardus Serm. 22. in Cant. non sine cachinno quærit: *Quid est vobis Philosophis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis?* bona certè & naturaliter & moraliter facta, ideo mala sunt coram Deo, quia nec ex Deo, nec propter Deum fiunt, *Lutb.* Rationes Pelagianorum sequentes aliud nunquam persuadebunt.

XII. 1. Cornelii opera non fuerunt peccata, licet ante auditum Petrum infidelis ipse fuerit, *Act. 10.* Resp. Negatur Cornelium ante Evangelium à Petro auditum infidelem fuisse, sed antea fidem quod habuerit, de eo sic habet Greg. M. 1. 2. sup. Ezech. hom. 19. *Non virtutibus venit ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes.* Cornelius enim centurio, cuius Elemosyna ante Baptismum, Angelo teste, laudata sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera, &c. Si enim Deum verè etiam ante baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quod eius omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat. Neq; enim poterat bona agere, nisi antea credidisset, cum scriptum sit: sine fide impossibile est placere Deo. Fidem ergo habuit ille, cuius operationes & Elemosyna Deo placuerunt, &c.

*Objectiones  
Pelagianorum, quod  
virtutes  
Ethnicorum non  
sine peccatis*

XIII. 2. Athe-

XIII. 2. Athenienses dicuntur *ἑθελοῦν*, hoc est, colere Deum ignotum, qui tamen infideles erant & Idolatra, Act. 17. v. 23. Resp. Homonymian committi in voce *ἑθελοῦν*, quo Paulus utitur *κατὰ δόξαν*, juxta Atheniensium opinionem, quos ille ab ignoto suo Deo, ad agnitum deducere & Christo lucrifacere volebat.

XIV. 3. Quod à Deo & Dei donum est, id vitiosum non est. Sed Ethnicorum virtutes à Deo & Dei donum sunt, juxta illud Ciceronis: *Nemo, sine afflatu divino, unquam magnus extitit.* E. Resp. 1. Major falsa est, cum tota hominis substantia à Deo sit, quæ tamen peccatorum sordibus defœdata nascitur. Deinde, Dei dona non sunt peccata per se, si absq; depravatione maneant, propter defectum tamen & contaminationem peccatis annumerari possunt. vel: dona Dei, in quantum à Deo, peccata non sunt, in quantum à personis vitiosis & infidelibus proficiscuntur, peccata esse possunt.

*Non officiis  
sed finibus  
pensanda  
sunt virtu-  
tes.*

XV. 4. Res bonæ non sunt peccata, At. E. Resp. Bona opera non nominibus sed adverbis judicanda sunt, hoc est, juxta August. non bona tantum fieri, sed bene etiam fieri debent, bene autem fiunt, quando ex fide prodeuntia, ad solius Dei gloriam diriguntur. Contra: quid quod per se bonum & licitum est infideliter facit, ille malè facit, sed gentilis quicquid facit, infideliter facit, quia fide caret. E.

XVI. 5. Quod Deus præcepit & amplissimè in hac vitâ remuneratur, quî illud peccatum esse potest? Sed virtutes Ethnicorum à Deo præceptæ sunt, Nebucadnezari etiam in præmium expugnatae Tyri Ægyptus promittitur, & August. l. 5. de C. D. c. 15. Romanorum virtutibus, loco præmii, Orbis imperium datum affirmat, E. Resp. 1. Quod à Deo præceptum est, peccatum

non

non est, per se scilicet quatenus præceptum, nisi aliquid  
accedat, propter quod fit peccatum. 2. Non omnes gen-  
tilium virtutes Deus præcepit, id quod ex descriptione  
Magnanimitatis & Magnificentiae Aristotelicæ satis li-  
quet. 3. Merces terrena non semper veram arguit virtu-  
tem, quia rerum saltem caducarum est, quas Deus tam  
bonis quam malis promiscuè largitur, illa autem verè  
bona opera sunt, quæ habent promissionem hujus & fu-  
turæ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8. Hinc Luth. Tom. 1. oper. Lat.  
p. 543. *Iustitia hominis non venati, ut ut eam temporaliter Deus  
honoret donis vitæ huius optimis: tamen coram Deo larva est  
& hypocrisis impia, & mirum problema est, quod Deus remunere-  
ret iustitiam, quam ipse reputet iniquitatem & malitiam.*

XVII. 6. Si omnes Ethnicorum virtutes pec-  
cata sunt, perinde utiq; erit, quando Socrates mores suos  
honestâ disciplinâ gubernat, & quando matrem Nero  
trucidat, quæ Erasmi objectio est, sed Resp. Peccata in nō  
renatis non esse paria, Etenim in die iudicii tolerabilius  
erit Sodomæ, quàm Chorazini, Matth. II. v. 24. Et minùs  
Socrates quam Nero punietur, nō quia Socrates bonus,  
sed quia Nero magis malus, & minus impius quàm Nero.  
Socrates, non veras virtutes habendo, sed à veris virtu-  
tibus non multum deviando. Aug. 1. 4. cont. Jul. c. 3.

XVIII. De virtutibus Ethnicorum sic satis; at  
idem de Hæreticorū, propriè sic dictorum, operibus esto  
iudicium. Illi per errores contra fundamentum Spiri-  
tum S. expellendo, locum dederunt spiritui mendaci, *Opera Hæ-  
reticorum.*  
1. Reg. 22. v. 22. Illi fidei fecerunt naufragium, 1. Tim. 1.  
v. 19. Illi sanis Christi sermonibus non acquiescunt, 1. Ti-  
moth. 6. v. 3. Illi non sunt palmites viti Christo adhæ-  
rentes, Joh. 15. v. 4. imò, illi sunt Idololatræ, quomodo  
ergo opera hæreticorum Deo placere possunt, cum

B

omni-

omnibus operis verè boni requisitis destituantur?  
XIX. Cæterum, Bona opera sunt non modò actio-  
nes renatorum ex verâ in Christum fide factæ, sed & di-  
vinitus mandatæ, testantibus id sequentibus Scriptu-  
ræ dictis, Deuteron. 4. vers. 8. 32. Numer. 15. vers. 39. E-  
zech. 20. vers. 19. Esa. 29. vers. 13. Matth. 15. vers. 9. Mich.  
6. vers. 8. &c.

*Electiij  
cultus rej-  
ciuntur.*

XX. Vapulabunt ergo heic Pontificii, qui va-  
rios suos cultus electitios, consilia & ἐθελοθρησκείας, bonâs  
quod putant, intentione, excogitatas, pro perfectissimis  
bonis operibus venditant, Vide Bellarminum l. de mo-  
nach. cap. 7. &c. cum tamen nugæ meræ & cerebri hu-  
mani sient quisquilæ, jam dudum ab Apostolo inter τὰ  
σοιχεῖα ἃ κόσμος relata, Coloss. 2. vers. 20. Unde Pro-  
pheta: Quis requisivit hæc de manibus vestris? Esa. 1.  
v. 12. & alius: Incitaverunt Deum suum ad inventioni-  
bus suis, Psal. 106. vers. 36. Comprobant hæc satis lucu-  
lenter, & : μοχοποιία Aaronis Exod. 32. Et, Ephod Ge-  
deonis, Jud. 8. Et, Teraphim matris Michæ, Jud. 17. &  
Saulis sacrificia, 1. Sam. 17. Et, vituli Jeroboami in Dan  
& Bethel, 1. Reg. 12. &c. Damnamus ergò opera etiam  
bonâ intentione suscepta, quæ expresso Dei mandato ca-  
rent, nec sequentibus movemur.

*Rationes  
pro ἐθελο-  
θρησκείαις.*

XXI. 1. Abel, Noach & reliqui, ante Mosen,  
Patriarchæ, sacrificia fecerunt, absque expresso Dei  
mandato, quæ Deo tamen placuerunt. Resp. 1. Quem-  
cunque cultum Deus approbat, ille eundem habeat au-  
torem & institutorem necesse est, alias malè audit, Esa. 1.  
vers. 12. jam vero Deus respexit ad Abel & sacrificium  
ejus, Genes. 4. vers. 4. Odoratus etiam fuit odorem sua-  
vitatatis in sacrificio Noachi, Genes. 8. vers. 21. E. hi cul-  
tus divinam habuerunt institutionem. 2. Quicquid  
fide.

fide fit, hoc divino mandato non caret, quia fides ex au-  
ditu, auditus autem per verbum, Rom. 10. vers. 17. Sed  
fide majus Deo sacrificium obtulit Abel quàm Cain,  
Heb. 11. v. 4. E. factum hoc prælucente Dei mandato vel  
revelatione. 3. Ut divinitus revelata est ipsa Messiae  
promissio, sic utique & Typi futurae mortis ac passio-  
nis Messiae revelati sunt; Sed veteris Testamenti sacri-  
ficia Typi fuerunt sacrificii propitiatorii in ara crucis of-  
ferendi, E. Patriarchae, sine institutione divinâ, ejusmo-  
di figuras, concinnas admodum, excogitare non potue-  
runt. 4. Ratio nostra, inter Deum spirituales & sacri-  
ficia carnalia, inter Deum summè misericordem & cru-  
entam victimarum mactationem, nullam invenit ἀνα-  
λογία, Nec bove mactato caelestia numina gaudent, teste  
Poëta, E. Patres quod sacrificarunt, hoc factum est ex  
quadam, licet κατὰ ῥητὸν à Mose non expressâ, certâ  
tamen, vel institutione vel revelatione, quam Ethnici  
postmodum ineptâ prorsus κακοζηλία imitati.

XXII. 2. In lege accepta erant non modò illa  
sacrificia, quæ ex mandato fiebant, sed & illa præcipuè,  
quæ voto & spontè offerebantur, Levit. 17. vers. 10. 22.  
vers. 18. Numer. 15. vers. 3. Deuter. 12. vers. 11. Resp. In  
lege expressæ habentur ordinationes de spontaneis ob-  
lationibus, quod scilicet non modò fieri illæ possint, sed  
& quo loco, quo modo, quibus item conditionibus fieri  
debeant, id quod ex locis allegatis in aprico, E. oblatio-  
nes spontaneæ veteris Testamenti mandato divino e-  
quidem non caruerunt, sed jam in Novo Testamento  
spontanea ejusmodi, hoc est, non mandata opera, ex-  
pressè prohibita sunt, Paulo ἐλεοθερητικίας disertis ver-  
bis damnante, Col. 2. v. 23.

XXIII. 3. Sed,

XXIII. 3. Sed, David petit, ut voluntaria oris  
sui grata Deus habeat, Psal. 119, v. 108. Resp. Aliud Ele-  
ctitium est aliud voluntarium, voluntarium præsertim  
Davidicum, quod invito & coacto opponitur, ideo Psal-  
tes statim subjungit: *Et iudicia tua doce me. Voluntarius*  
itaq; Davidis & omnium renatorum est cultus, non ele-  
ctititius, sed ex præscripto legis divine spontè ac quâdam  
cum voluptate factus, confessione *charitatis*, non timore  
*necessitatis*, interprete Aug. in Psal. 118.

XXIV. 4. Maria Christi caput, sine præscripto  
legis divinæ, oleo pretioso perfudit, & tamen dicitur bo-  
num opus fecisse, Matth. 26. v. 16. Resp. 1. Maria morem  
suæ regionis observavit, non peculiarem cultum insti-  
tuit. 2. Officium humanitatis & dilectionis præstitit  
Christo, non nudâ intentione excogitatum, sed in lege  
expressè mandatum, viduæ enim pedes Sanctorum la-  
vent, 1. Tim. 5. v. 10. Adhæc 3. peculiarem peculiari Spi-  
ritus sancti instinctu, sepulturæ Christi typum Maria ex-  
hibuit, quod in regulam cultus generalem trahi statim  
non debet.

XXV. 5. Sed ἐθελοθρησκείαι bono tamen fine sus-  
cipiuntur, ut nimirum Deo honos præstetur & obedi-  
entia. Resp. Bona boni operis definitio mutilatur, com-  
prehendit enim illa non modò finem actionis, qui Dei  
gloria est, sed & qualitatem actionis, quæ Dei mandatū.

XXVI. 6. Bonum propositum bonas utique  
actiones facit, Resp. Propositum verè bonum est, Dei  
parere præceptis, sed qui hæc temnit & transgreditur,  
quid quæso ille de bono proposito gloriatur?

XXVII. 7. Spiritus S. quo renati aguntur, agens  
est liberrimum, E. & illorum obedientia libera est, nullis  
legum repagulis inclusa. Resp. Spiritus ille Dei verbi  
dulce.



dulcedine sanctos ducit, non sine medio, hinc verbum  
Dei dicitur ministerium Spiritus sancti, 2. Cor. 3. v. 3. Qui  
ergo in cultu Dei verbum negligit, frustra is liberrimum  
Spiritus S. ductum præ tendit.

**XXIX.** 8. Charitas est regula bonorum ope-  
rum, ex charitate fiunt electitii cultus, E. verè bona. Resp.  
conjunx. committens aliquid tabulis legum conjugii,  
vel inconueniens, vel omninò etiam contrarium, annon  
minus excusata, fucatam præ se fert, & non veram, cha-  
ritatem? Sic charitas, cum prævaricatione mandati de-  
non fingendis novis cultibus conjuncta, ficta est & picta  
charitas, cui fucum Apostolus demit, quando charita-  
tem, & legis impletionem, & mandati summam nominat,  
Rom. 13. v. 9. Gal. 5. v. 14. vide de his ferè omnibus Che-  
nit. p. 3. l. c. p. mihi 37. 38. &c.

**XXIX.** Hæc contra *ἑτεροθρησκείας*, quibus tamen *Opera San-  
ctorum He-*  
non annumeramus illa Sanctorum opera, quæ *HEROICA* *roica.*  
nominari consueverunt. Nam etiamsi, expresso Dei  
mandato, præcepta illa non sint, opera tamen verè bona  
fuisse, quippe ex fide nata & peculiari Spiritus sancti im-  
pulsu edita, ideò statuimus, quod Deus ea approbasse &  
remunerasse dicitur, quæ tamen temerè imitanda non  
sunt, cum nobis, solum Dei verbum revelatum, operum  
verè bonorum regula & norma debeat esse unica, uti  
modò ostensum. Vide Dn. D. Hütterum in Form.  
Conc. art. 4. p. 427. Item disp. 13. in A. C. quæst. 2. th. 50. 51.

**XXX.** Verum enim verò, cum actiones renato-  
rum divinitus præceptæ & efficaciam Spiritus S. præ lucen-  
te fide, in Dei honorem factæ, sint opera verè bona, non  
injustè porrò quæritur, annon ea purè & perfectè dici  
possint bona, omni omninò labe carentia? certè ut San-  
cti in Scriptura dicuntur perfecti, Sap. 17. v. 1. Immacu-  
lati,

Bona Renatorum opera cur perfecta dicantur?

Per se B. R. O. imperfecta sunt.

Argumenta pro perfectione operum.

lari, Psal. 119. v. 1. Justi & irreprehensibiles, Luc. 1. v. 6. &c. Ita etiam opera illorum perfecta videntur dicenda, juxta illud: qualis causa talis effectus: Sed sciendum, tales dici sanctos non legaliter, sed Evangelicè: non simpliciter, sed comparatè; non inhaesivè, sed imputativè: non perfectivè, sed inchoativè: non effectivè, sed affectivè. Ideoq; si & opera Sanctorum perfecta dicantur, tunc illud similiter fit, 1. non ob perfectionem graduum, vel ob perfectam, in summo gradu, cum lege Dei, conformitatem, quæ impossibilis, sed ob perfectionem partium, quia obedientia renatorum, inchoata, ad omnia præcepta Decalogi, non ad aliqua saltem, se extendit, 2. ob sinceritatem animi, ab omni furo alienam & sic perfectum hypocritico opponitur. 3. Ob Spiritus S. quo renati reguntur, assistentiam. 4. ob Christi potissimum imputatam perfectionem.

XXXI. Per se autem bona renatorum opera sunt, non perfecta sed impura, Esa. 64. v. 16. Job. 15. v. 15. Prov. 20. v. 9. & peccatis lapsuq; in dies obnoxia, Prov. 26. v. 16. Psal. 32. v. 6. 1. Reg. 8. v. 46. Eccles. 7. v. 21. & in rigore judicii divini nimis infirma, Job. 9. v. 2. Psal. 130. v. 2, 143. v. 2. Imò omnia hinc imperfecta sunt, cum autem id venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, 1. Corinth. 13. v. 10. Non putemus ergò, Fratres, quod apprehenderimus aut perfecti simus, sequamur autem ut apprehendamus, Phil. 3. v. 12. Bellarmino hæc non placent, ideò l. 4. de justif. c. 15. pro operum perfectione his pugnat Scripturæ dictis:

XXXII. 1. In omnibus his non peccavit Job labijs suis, neq; stultum quid contra Deum locutus Job. 1. Resp. Non est homo qui non peccet, Rom. 3. v. 12. E. & Job peccavit, tunc nimirum, quando carnis quodammodo tentatio-

tionibus succumbens, ex impatientia diem nativitat<sup>is</sup>  
suæ detestatur, Job. 3. v. 2. Fuit itaq; Jobi pietas & patientia  
*recta*, sed non pura vel *perfecta*, unde ipse fatetur, in seve-  
ro Dei judicio se subsistere non posse, quando dicit: ve-  
rè scio, quod non justificatur homo Deo compositus,  
Job. 9. v. 1. &c.

XXXIII. 2. *David aliquoties secundum justitiam*  
*suam petit sibi retribui*, Psal. 7. 17. 18. 34. 118. Resp. 1. Da-  
vid commemorat opera sua, non ut merita, sed ut veræ  
& sinceræ pietatis signa, hypocrisi opposita, 2. David  
recenset suam integritatem non per totum vitæ suæ  
curriculum, sed saltem in speciali causâ, de quâ res ipsi  
cum adversariis, consideratam. 3. David intelligit  
justitiam non personæ sed causæ, quam justam fove-  
bat, nec reus erat illorum scelerum, quæ à persecutori-  
bus ipsi imponebantur. 4. David sæpiusculè non tam  
de suâ, quàm de Christi justitiâ & sanctitate loquitur,  
quam & nos modis omnibus perfectam dicimus.

XXXIV. 3. *Jac. 3. In multis labimur omnes, non*  
*in omnibus labimur omnes.* Resp. Is qui in multis labi-  
tur etiam labitur, quomodo E. perfectus est? Ad hæc  
Jacobus propriè hîc loquitur de lapsibus linguæ, vel  
aliis etiam externis infirmitatibus, in iis omnibus licet  
omnes non labantur, in lege tamen divinâ, qui quis in  
multis labitur, ille certè in omnibus labitur, juxta *ἀνεπι-*  
*κόδικαιον* illud: qui impegit in uno, reus factus est  
omnium, Jac. 2. v. 5.

XXXV. 4. *Scriptura dicta hortantur nos ad non*  
*peccandum*, Psal. 4. Esa. 1. Joh. 5. 1. Corinth. 5. Quæ omnia  
frustrâ, si in omni opere etiam bono non possumus non  
peccare Resp. 1. Docent hæc dicta non quid possumus,  
sed

sed quid debeamus, à præceptis autem ad posse, nulla est collectio. 2. Agunt de peccatis contra conscientiam, à quibus licet renati, per Dei gratiam, sibi cavere possint, infirmitatibus tamen subjecti sunt adeò, ut etiam justus in die septies cadat & pro remissione peccatorum Deum oret, Psal. 32. v. 6.

XXXVI. 5. Justorum opera absolutè dicuntur bona Matth. 5. 1. Tim. 6. Tit. 3. Ephes. 2. Resp. Bona, non perfectè bona dicuntur renatorum opera, & quidem verè bona ob causas thesi 30. indicatas.

XXXVII. 6. Bona opera renatorum placent Deo, Mal. 3. Sap. 9. Act. 10. 1. Pet. 2. Phil. 4. Resp. Utiq; sed non propriè dignitatis causà, verùm placent, quia persona fide Deo reconciliata placet: placent, quia maculæ eorum velamine perfectionis Christi absolutissimæ tectæ; placent, quia Spiritus S. effecta: placent, quia fidei & novæ obedientiæ à filiis dilectis inchoatæ testimonia.

XXXVIII. Adducit etiam Bellarminus obscura duo loca, ex 1. Cor. 3. & Luc. 11. sed ex obscuris ejusmodi dictis cum argumenta duci apodictica nō possint, bonorū operū proprietates hic subsistat & facessant simul opera Pontificiorum Superarrogationis (supererogationis dico) quibus homo plus præstare fingitur, quàm debet, cum tamen Sanctissimorum etiam opera imperfecta sint, & si vel maximè perfecta, debita tamen, Luc. 17. v. 10. Nec obstat illud: *Si quid Supererogaveris*, Luc. 10. v. 35. Quia Theologia allegorica non est argumentativa; quia scopæ sunt dissolutæ contra parabolæ intentionem directæ; quia fallacia comp. & divis. committitur: *Si quid Supererogaveris, non Deo, sed huic agroro &c.* Manet proinde hoc firmum fixumq;: *Legem etiam renatis præstitum esse impossibilem*, Quicquid prætendat Bellarm. l. 4. de justif. c. 11, ex Conc. Trid. sess. 6. c. 18.

*Opera supererogationis.*

CON-

# CONTROVERSIA NECESSITATIS BONO- RUM OPERUM.

XXXIX. Non minus impudens quàm trita gen-  
tis Pontificiæ criminatio est: Bona opera non modò par-  
vi facere, sed etiã prohibere Evangelicos, quos propterea  
*Opericidas (Weremörder)* vulgò indigitant, quos Simonis  
Magi & Eunomii, ob id, discipulos dicunt, imò, quos exi-  
miam illam sanctitatem omneq; bonorum operum stu-  
dium impedire clamitant; Casp. Wlenberg Colon. in l.  
de causis Apostasias, causa 5. Lessius confid. l. p. 18. & qui  
non alii?

*An Lutherani  
prohibeant B.O?*

XL. Sed, ut ocimum maledictis & probris seren-  
dum est, quo latius proveniat: Ita zizaniura papisticum  
feliciter stercorari non potest, quam hoc de trivio petito  
convitiorum fimo, D. Bald. præfat. Epl. Dom. ex Plin. l. 19.  
N. H. c. 7. Nos certè novimus calumniam isthanc. i. esse  
*antiquissimam*, ipsi Paulo, Rom. 3. v. 8. & 30. Rom. 6. v. 1.  
objectam à Pseudo-Apostolis, quos ille propterea *βλασ-  
φημούντες* dicit & gravi Apologia abs se repellit. Novimus  
2. esse *mendacissimam*, siquidem doctrina nostra fidem ju-  
stificantem radiis solaribus confert, *quæ ubicunq; micat, ar-  
dorem bonorum operum excitat, & nemo in Christum verè puta-  
tur credere, qui à scelerum viâ nolit recedere.* Dn. D. Meif-  
nerus part. 2. Exam. conf. Less. p. 91. Inspiciant dicti men-  
daciorem Architecti Artic. 20. Aug. C. attendant art. 4.  
F. C. percurrant nostrorum homilias Evangelicas &  
Epistolares imò capita sua attollant ad curias nostras, ad  
patibula nostra & aliorum suppliciorum loca, omnia  
profectò de injuria Ecclesiis nostris facta apertè prote-

C

stan-



stantur. Novimus 3. ipsis adversariis esse *notissimam*,  
 hinc Bellarminus, postquam Lutheri, Philippi, Brentii,  
 Chemnitii &c. mentem de bonis operibus aperuisset,  
 tandem, timidè admodum, concludit: Cæterùm quic-  
 quid sit de modis ipsorum loquendi, VIDENTUR omni-  
 nò existimare, posse hominem salvari, etiam nulla bona  
 opera faciat nec mandata divina custodiat. VIDENTUR:  
 cui? Tibi Bellarmine, & omnibus illis qui rectè dicta,  
 malitiosè pervertunt; Vide D. Gerh. L. de bonis ope-  
 ribus §. 31.

XL I. Sonorâ itaque voce profiteamur: Eum qui  
 vera pietatis & charitatis opera *parvi facit*, Christianum  
 non esse, Eum verò qui talia prohibet, ex Spiritu Satanæ  
 loqui: Quis enim ejus foret audaciæ, qui prohibere au-  
 dit, quod Dominus præcepit? Quis tantæ impudentiæ,  
 qui parvi pendere, quod Christus maximo commenda-  
 vit opere? Bona certè opera Christianis maximè æsti-  
 manda & NECESSARIÒ ab omnibus præstanda. Nos  
 asserimus, quod si dictum semel Jesuitæ non audiunt,  
 sexcenties sibi ingeminatum putent. Sed surdis fabu-  
 lam! cum hodieque, pro veteris suæ diffamationis palli-  
 andâ proterviâ, sequentia nobis obvertant:

*Dicta Lu-  
 theri qui-  
 bus negare  
 videtur B.  
 & necessita-  
 tem.*

XL II. Quod Lutherus dicat: 1. *Bona opera non fa-  
 cere bonum, nec mala malum virum*, in lib. de libertate Chri-  
 stianâ. 2. *nihil nisi fidem justificare, & nihil peccare & damna-  
 re nisi incredulitatem, ibidem.* 3. *ibi nullum peccatum nocere pos-  
 se, ubi fides est*, in serm. Sic Deus dilexit. 4. *Hominem ba-  
 ptizatum non posse perdere salutem, nisi nolit credere*, in lib. de  
 capt. Babylon. 5. *Cavendum esse à bonis operibus, cum Chri-  
 stus negetur fidesq; aboleatur, si doceatur fidem quidem justifi-  
 care.*

cave, sed accedere debere mandatorum divinarum observatio-  
nem, in serm. de Missa & comm. cap. 2. Galat. 6. Plenis  
operum saccis oneratos, peregrinis Iacobi cum conchyliis onu-  
stis similes esse & angustam caeli portam non intrare, serm. Sic  
Deus dilexit. 7. Omnes actiones bonas peccata esse, Deo ju-  
dice mortifera, Deo propitio leviuscula, in assert. art. 32. 8. quan-  
tò sceleratiorem, tantò viciniorem esse gratia, Serm. de pis. Pet.  
9. Opera nostra Deum nequaquam curare, de Euchar. &c.  
Hæc Lutheri dicta, partim à Bellarmino l. 4. de justif.  
partim ab Edm. Campiano ratione 8. & aliis, nobis ob-  
jecta, repetit Decumanus Apostata, in præfat. Oppugn.  
Conc. Prag. Dn. D. Polycarpi, ubi illa nominat:  
Ausgeworffene Brocken / Bazen vnd Weidsprüche  
des Luthers / tandemque concludit: Sind nun die  
vom Luther geborne Predicanten nicht rechtschaffe-  
ne Prediger der guten Werck? Haben sie nicht ernst-  
lichen Lust / Hunger vnd Durst nach guten Wercken?  
Loben vnd erhöhen sie nicht die guten Werck biß an  
hellen lichten Galgen? Wer sihet nicht / daß es ein  
lauter Dunst / ein Spiegelfechten / eine Larff vnd lange  
Nase ist / so offte die Predicanten von guten Wercken  
predigen / &c. Hæc Iohannes Decumanus l. 8. de quo bellè  
Anagr. Cives! *Dæmon insanus.*

XLIII. Sed Resp. ad 1. Bona opera faciunt bo-  
num virum politicè coram mundo, non Theologicè  
coram Deo: vel, inter causam & effectum distinguen-  
do, bona opera non faciunt, sed ostendunt bonum vi-  
rum, quemadmodum boni fructus bonam arborem.

*Responsum  
ad corru-  
ptelas di-  
ctorum Lu-  
theri.*

non faciunt, sed de ejus bonitate testantur, Hinc Ecclesia canit:

*Ceu fonte profluunt fide  
que facta sunt probanda,  
Abest fides si pectore,  
nec facta sunt putanda  
At sola nos saluat fides,  
Sunt facta proximi comes,  
Quibus fidem probamus.*

XLIV. Ad 2. Ut fides, Christi justitiam apprehendens, unicum illud medium est, per quod à peccatis liberamur & salutis æternæ reddimur participes: Sic causa damnationis propria, immediata & adæquata est, non hoc vel illud peccatum (aliàs omnes damnaremur, quia omnes peccatores sumus) sed incredulitas, quæ repellit Christum & vitam æternam in Christo nobis oblatam. Ubi tamen mala opera sive peccata non, quasi licita, excluduntur, sed, ut omninò illicita includuntur, tùm, quia incredulitas peccatum ipsa maximum est; tùm, quia omnium peccatorum mater est foecundissima; quod igitur matri tribuitur, hoc soboli non derogatur, tùm; quia peccata damnare non possunt, nisi cum infidelitate sint conjuncta, propter quam non remittuntur, juxta dicta, Joh. 3. v. 18. & 36. Johan. 16. v. 9. Marc. 16. v. 16.

XLV. Ad 3. Hæc piissimè dicuntur, si enim credenti non potest nocere mundus, quia fides victoria est, quæ mundum vincit, 1. Johan. 5. vers. 4. Si credenti nocere non potest diabolus, quia fide ignita ipsius tela extinguuntur, Ephes. 6. vers. 16. Quid nocebit credenti, vel peccatum, vel peccati stipendium damnatio? nihil certè, quia fides Christum apprehendit,  
nihil



nihil autem damnationis est illis qui sunt in Christo,  
Rom. 8. v. 1.

XLVI. Ad 4. Homo baptizatus potest peccare atque sic per peccata contra conscientiam amittere fidem, excutere Spiritum sanctum & baptismi perdere gratiam; Sed si tamen veram agat poenitentiam, & promissionem foederalem, in baptismo sibi factam fide apprehendat, tunc salus & gratia restaurantur. Non igitur Lutherus baptizatis concessit turpidinis privilegium, sed ad gratiam, post lapsum, per fidem & poenitentiam, patefecit ipsis reditum.

XLVII. Ad 5. Actum justificationis opera non ingrediuntur, caveant itaq; ob operibus sibi justificandi, non justificati. Vel: cavenda sunt bona opera non simpliciter, ut illorum negligatur exercitium, sed certo respectu, ne scilicet justificationis ipsis tribuatur meritum.

XLIIIX. Ad 6. Aliud est tollere operum praesentiam & aliud Pharisaicam prohibere operum fiduciam, posterius Lutherus fecit, non prius. Accommodent itaque Christi oves sese ostio sui ovilis, hoc angustum est Matth. 7. v. 17. hoc humile est, Matth. 11. v. 29. E. Gigantes & *Γεόμαχοι* hic non intromittuntur, sed fastuosos operum saccos qui deponit, is per portam illam exilem egredietur ex hac vita, ingredietur aeternam vitam & salvabitur, Joh. 10. v. 9.

XLIX. Ad 7. Dixit hoc Lutherus, & verè dixit: omni enim actioni, quantumvis excellenti, vitii aliquid inest, quod ipsam actionem penitus corrumpit Deoque odiosam reddit, si quidem, quod agitur, divinae justitiae statera examinetur. Sic itaque tenendum: Bona opera renatorum per se, simpliciter, absolutè & for-

maliter nec peccata sunt, nec mortalia peccata: *κατὰ τὴν*  
tamen & certo quodam respectu peccata fieri possunt  
& quidem mortalia, si videlicet fiant sub opinione per-  
fectionis; si fiant opinione meriti; si fiant absque fide,  
apprehendente meritum Christi, tunc quod ex fide non  
est, peccatum est, Rom. 14. v. 26.

L. Ad 8. Christi gratia non exiguis tantum, sed  
maximis etiam sufficit peccatis, nec peccatores solum-  
modo à Christo, ad ipsum ut veniant, invitantur, sed &  
peccatorum oneri succumbentes. Non E. hortatur  
Lutherus, ut in scelere quis pergat, sed ut veniam non  
desperet, nam quanto improbior in anteaetâ vita,  
quis extitit, tanto uberius ipsum gratia, si quidem sce-  
lerum verè pœniteat, complectetur, juxta illud Pauli:  
ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia, Ro-  
man. 5. vers. 20. Si Lutherum damnant, quomodo A-  
postolum absolvent: Lis certè utrique eadem est, idem  
judicium.

LI. Ad 9. Curat Deus opera justificatis, eaque  
si recta sint, præmiis ornat; si minus, pœnis digna judi-  
cat: sed in justificandis nobis nullam omninò Dominus  
operum rationem habet justus enim non ex operibus,  
sed ex fide suâ vivet, Hab. 1. v. 4.

LII. His Lutheri dictis adjungit Bellarmin l. 4.  
de justific. cap. 1. rationes ex discrimine legis & Evange-  
lii; item, ex libertate Christianâ, ut etiam ex moribus  
& vita Evangelicorum desumtas, sed ea forte facilia  
sunt: Fides duplicem habet *ἐνέργειαν*: apprehendit  
Christum in Evangelio, & exerit se per bona opera in Le-  
ge proposita, actus prior Evangelicus est, posterior le-  
galis. 2. liberati sumus à damnatione legis, non ab obe-  
dien-

dientia legis, cui justificati omninò subjacent. 3. mali-  
tia multorum causa est, non *indulgentia religionis*, sed *ma-*  
*litia propria voluntatis*, quod conquestus est Lutherus,  
quod omnes hodieq; prædicatores conqueruntur.

LIII. Sunt E. & manent bona opera *necessaria*, <sup>B. O. quomodo</sup> *do necessa-*  
non tamen vel coactivâ, vel meritoriâ, vel ad salutem *ria sint.*  
restrictivâ, sed ordinis & voluntatis divinæ necessitate,  
Immò, ut alius quidam: *Necessaria sunt bona opera ne-*  
*cessitate mandati*, Levit. II. v. 44. & *debiti*, Luc. 17. vers. 10.  
*Necessitate ordinis*, Ephes. 2. v. 10. & *Gratitudinis*, Luc. 17.  
v. 18. *Necessitate conscientia*, I. Tim. 1. v. 19. & *differentia*,  
Johan. 1. vers. 47. *Necessitate supplicij*, Luc. 21. vers. 36. &  
*præmij*, I. Timoth. 4. vers. 8. &c. Renecc. Panopl. Tom. 4.  
cap. 12. pag. 159.

LIV. Non placent hæc Antinomis & Liberti- <sup>An bona</sup>  
nis, qui bona renatorum opera *non necessaria* dicenda, <sup>opera sint</sup>  
vociferantur, cum *libera, spontanea & voluntaria* esse de- <sup>necessaria,</sup>  
beant: sed sciendum, differre *necessarium & coactum*, <sup>cum libera</sup>  
Coactum excludit libertatem; necessitas verò & liber-  
tas simul consistere possunt; quemadmodum ipse Deus,  
qui agens quidem liberrimum est, necessariò tamen &  
bonus est & bona agit, necessitate scilicet non coactio-  
nis, sed immutabilitatis. Hic E. necessarium opponi-  
tur τῶν ἀναγκαστικῶν non operi renatorum voluntario, de  
quo: Psal. 51. v. 4. Psal. 110. vers. 3. Rom. 6. vers. 12. 2. Co-  
rinth. 9. v. 7. &c.

LV. Conclusio igitur nulla est, quando dicitur:  
Si libera sunt B. O. E. vel fieri poterunt vel omitti, quia  
libera sunt, non libertate Epicureâ, quæ licentia carnis  
est, sed libertate Spiritus, Galat. 5. v. 13. Cui necessarium  
non contrarium. Hinc ipsa Scriptura vocabulo neces-  
sarium  
gratis

fitatis disertis verbis utitur: Act. 14. v. 28. Roman. 13. v. 5.  
1. Cor. 9. Et quando Anabaptistæ simpliciter dicebant,  
etiam extra justificationis articulum: *Sie wolten alle ih-  
re gute Werck vmb einen Groschen geben* / tunc Lutherus è  
cōtrario voce necessarii sepiusculè usus est dicens: *Aequè  
necessarium est, ut pii Doctores diligenter urgeant doctri-  
nam de bonis operibus, quam doctrinam de fide* Tom. 4.  
L. p. 161. & in c. 5. ad Galat. Si opera sola docentur, fides  
amittitur: si fides sola docetur, statim somniant homi-  
nes carnales, opera non esse *necessaria*. Plura vide apud  
Chemn. p. 3. L. C. p. mihi 45.

Cur neces-  
saria sint  
B O?

LVI. Sunt verò necessaria B. O. 1. *Propter Deum*,  
qui mandavit, & cui hoc pacto debitam obedientiam  
declaramus & gratitudinem, 1. Thessal. 4. vers. 3. 2. *pro-  
pter nos ipsos*, ut fidem exerceamus & probemus, Jacob. 2.  
v. 17. ut poenas vitemus, Matth. 7. vers. 19. ut omnis ge-  
neris præmia consequamur, non tamen ex operum di-  
gnitate, sed promissione Dei *gratuità*, 1. Timoth. 4. v. 8.  
3. *propter proximum*, qui sublevandus, nostro exemplo  
ædificandus & non offendendus, 2. Corinth. 4. vers. 15.  
Matth. 18. vers. 2. Luc. 22. vers. 23. 4. *propter Angelos*, qui,  
ut hominum pietate gaudent; sic impietate eorundem  
repelluntur, Matth. 18. vers. 10. Luc. 15. vers. 20. & tan-  
dem 5. *propter diabolum*, ne in cordibus nostris hospiti-  
um illi præbeamus, vide Chemnit. part. 3. L. C. Hutte-  
rum in Form. C. D. Meisn. Exam. Less. parte 2. pag. 94.  
ubi sanè duæ posteriores causæ, ad primam; non ine-  
ptè referri possent, quia, ubi non offenditur Deus, ibi  
nec contristatur Angelus, & qui per mala opera non  
turbat Spiritus sancti domicilium, is nec diabolo præbet  
hospitium, Dn. D. Gerh. L. de B. O. §. 28.

LVII. Quæ

LVII. Quæ licet ita sese habeant, non tamen dicendum, quod bona opera sint necessaria ad salutem & justificationem, si quidem efficiens & meritum justitiæ consideres, gratis enim justificamur & salvamur fide in Christum, Rom. 3. v. 28. Eph. 2. v. 8.

An B. O. sine  
necessaria  
ad salutem?

LIX. Phrases itaque Majoristicas, quarum patrocinium circa annum 1551. & post, à nonnullis susceptum est acerrimum, quod scilicet B. O. ad salutem sint necessariae quod impossibile sit salvari absq[ue] bonis operibus: Quod nemo unquam sine operibus salvatus sit, &c. improbamus, tum quia non sunt ἁπολυπώσθησαν sanorum verborum undique conformes: tum, quia pugnant cum particulis exclusivis ab Apostolo usurpatis: tum, quia turbatis conscientis, de operum sufficientiâ perpetuò dubitantibus, necessariam consolationem eripiunt: tum, quia Papismum omninò redolent. Quem Papismum reducant in prospectum Ecclesiæ Calviniani.

LIX. Sanè, cum opera sint effectus necessariò subsequens justificationem, ideò nonnulli putant, homines in hac mundi securitate fortiùs efficaciusque ad studium B. O. excitari posse, si ea ad salutem esse necessaria affirmetur. Sed non facienda sunt mala, ut eveniant bona, Rom. 3. v. 8. ideò, si omninò aliquid dandum (quod tamen simpliciter vix audemus) sint necessaria opera ad justificationem non constituendam, non consequendam, non impetrandam, sed saltem declarandam: sint necessaria, ut justificationis non media, sed saltem testimonia: sint necessaria, ut justificationis non causa, sed saltem nota. vel: sint necessaria respectu non originis, sed ordinis salutem.

An quoquo  
modo B. O.  
ad salutem  
dicenda sint  
necessaria?

LX. Sed hæc non satisfaciunt Bellarmino, qui l. 4. de justific. c. 7. operum necessitatem ad salutem probare

Arg. Bellar-  
mini pro  
necessitate  
B. O. ad salu-  
tatem.

D

bare conatur. 1. ex Scriptura, 2. ex traditione Ecclesiastica, 3. ex ratione humana. Quæ Scripturæ allegat dicta, videamus:

LXI. 1. *Patientia nobis necessaria* &c. Heb. 10. R. non dicit Apostolus: patientiam esse necessariam ad salutem, sed ad faciendam Domini voluntatem, ut reportemus promissionem. Jam v. voluntas Dei est, non modò ut bonis operibus studeamus, sed & cum primis, ut in filium credamus atq; sic per fidem vitam habeamus æternam, Joh. 6. v. 40.

LXII. 2. *Salvabitur mulier per generationem filiorum*, &c. 1. Tim. 2. R. Mulier justificatur non per generationem (aliàs omnes matres justificarentur) sed in generatione liberorū, & quidem fide, ideò statim additur: *Si permanserit in fide*, cujus fidei licet sequentes in textu virtutes fructus sint & effectus, nihilominus tamē in eis perseverandum quoq; fuerit piæ matronæ, ad pietatis & castitatis testimonium.

LXIII. 3. *Operamini salutem cum timore & tremore*, Phil. 3. R. Ita sanè, verūm non ut illam per metum & timorē impetremus, sed ut per fidem impetratam conservemus, loquitur n. Apostolus non de salutis causa & medio, sed de justificatorum curriculo, quod *per à φόβος ἢ τρόμος* ita continuandum, ut comprehendamus, 1. Cor. 9. v. 24. Ad hæc, opus Dei operatur is, qui credit in Christum, & fidē suam precibus verbi auditu & Sacramentorum usu confirmat, Joh. 6. v. 29.

LXIV. 4. *Tristitia secundum Deum operatur pœnitentiam ad salutem*, 2. Cor. 5. R. Apostolus non dicit: quod salutem operetur, vel juxta Deum tristitia, vel etiam pœnitentia, sed ita habent verba: *Tristitia secundum Deū operatur pœnitentiam ad salutem*, non itaq; justificationis modus, sed saltem gradus hic ostenduntur, per quos homo deducitur ad justificationem, ita, ut agat pœnitentiam, quæ pœni-

pœnitentia salutaris est & ad salutem utilis, non respectu contritionis, sed respectu partis nobilioris, quæ est *Fides*.

LXV. 5. *Tribulationes momentanea operantur æternæ pondus gloria*, 2. Cor. 4. R. vox hæc: *operatur*, non semper meritoriam causam notat, quia & lex iram operari dicitur, Rom. 4. v. 15. nec tamen causa iræ meritoria est, cum præceptum bonum sit lex, Rom. 7. v. 13. *κατεργάζεσθαι* E. hic non indicat causam, sed saltem viam multis tribulationibus obsitam, per quam iter ad astra patet: Atq; sic operari gloriam tribulationes dicuntur, quia Deus, sub tribulationibus anhelantes, ad cœlum perducit, Act. 14. v. 22.

LXVI. 6. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. 8. R. Loquitur Apostolus de justificatis, qui per fidem vitam semel spiritualem impetrarunt, hi, si frena cupiditibus laxent carnalibus, gratiâ excidere certè possunt atq; sic salutis & fidei facere naufragium, 1. Tim. 1. v. 9.

LXVII. 7. *Si compatimur, conglorificemur, &c.* Rom. 8. R. Apostolus expressè dicit in hoc dicto: passiones hujus temporis nõ esse cõdignas future gloriæ, hinc retorquemus: Si passiones hujus temporis nõ sunt condignæ gloriæ future, quomodo possunt esse æternæ gloriæ causa & meritum? Effectus certè nunquã suã causã præstantior est & dignior; Agitur E. & hinc de ordine, quo Deus renatos ad æternam gloriam, per multas evenit tribulationes.

LXVIII. 8. *Ore fit confessio ad salutem*, Rom. 10. R. Paulus non dicit: Confessio est necessaria ad salutem, sed ore fit confessio, & quidem talis, quæ facit, non ad impetrandam vel promerendam, sed saltem ad declarandam coram hominibus salutem. Ad hæc duæ in hoc dicto sunt propositiones, in primâ, ubi de fide agitur; Prepositio: AD, denotat causam instrumentalem; *corde creditur ad justitiã*, in altera autem, ubi de cõfessione agitur, AD, notat effectum quia fides per confessionem se exercit.

D 2

LXIX. 9. Ve.

LXIX 9. *Venite benedicti, esurivi & dedistis mihi, &c*  
Matth. 25. Resp. Agitur hic non de justificandorum cau-  
sis, sed de justificatorum notis, nec ullis meritis operum,  
magis oppositus locus est quam hic. *Benedicti* enim  
hic dicuntur salvandi, non propter opera, sed propter se-  
men *benedictum Abrahæ*, Gal. 3. v. 8. Datur ipsis vita æterna  
ut *hereditas*, non ut *stipendium* servorum, sunt. E. per fidem  
filii, si autem filii, utiq; & *heredes*, Rom. 8. v. 17. Adhæc, pa-  
ratum ipsis regnum dicitur ab initio mundi, non propter  
opera, sed propter Christum, in quo Electi sumus ante  
jacta mundi fundamenta, Eph. 1. v. 4.

LXX. 10. *Factor operis beatus erit in facto suo*, Jac. 1.  
Resp. Agitur hic non de justificationis actu, sed de frugi-  
fero verbi auditu. Libenter autem concedimus Chri-  
stianismum nostrum consistere, non in auditione modo  
& γνώσει, verum in πράξει quoque & auditorum observa-  
tione, quod tamen usitatum justificationis processum,  
non evertit, sed bonus auditor, ille credat Evangelio &  
suam operibus fidem testetur, tunc salvabitur in facto  
suo, non per aut propter illud factum, id quod Jacobus nun-  
quam dixit.

An B. O. ad  
salutem  
perniciosa  
dicenda.

LXXI. Cæterum, etsi bona opera nec ad impe-  
trandam, nec ad conservandam salutem & justitiam  
(1. Pet. 1. v. 5.) sint necessaria, non tamen *ad salutem perni-  
ciosa* dicenda, cum Amsdorffio; Nam, si B. O. justificatio-  
nis articulo immisceantur ita, ut homo per ea salutem  
velit consequi, illi sanè *DETRIMENTO* erunt, Phil 3. v.  
7. Sed per accidens, ex accidenti autem ad id, quod per  
se est, mala fit collectio. A phrasi itaque Amsdorffiana  
libenter abstinemus, *tum*, quia bona opera divinitus præ-  
cepta sunt: *tum*, quia piorum sacrificia sunt Deo placen-  
tia; *tum*, quia promissionem habent hujus & futuræ vi-  
tæ, 1. Tim. 5. v. 4.

CON.



# CONTROVERSA UTILITATIS BONORUM OPERUM.

LXXII. Ceterum est bonis renatorum operibus, ex fide ad Dei gloriam factis, proposita esse præmia longè largissima, id quod testantur omnia illa V. & N. T. dicta, quibus Deus donis corporalibus & spiritualibus, temporalibus & æternis ea sese remuneraturum pollicetur passim, Deut. 7. v. 12. Esa. 1. vers. 19. Matth. 5. v. 12. 19. v. 21. Luc. 14. vers. 13. 19. v. 26. 1. Corinth. 15. v. 41. 2. Theff. 1. vers. 6. &c.

LXXIII. Intellexit hoc B. Lutherus ideoq; Tom. 4. Jen. lat. p. 109. de operibus sic discurret: *Extra causam justificationis, nemo potest opera à Deo præcepta satis magnificè commendare, quis enim vel unius operis, quod Christianus ex fide & in fide facit, utilitatem & fructum satis predicare potest? Est sanè pretiosius quàm cælum & terra, ideoq; nec totus mundus, in hac vitâ, dignam potest mercedem reddere pro uno tali opere, neq; mundus hanc gratiam habet, ut opera piorum magnificat, multò minus ut ea recompenset.*

LXXIV. Ex his mortales agnoscere debebant, tum suam miseriam, tum summam Dei misericordiam; hanc ideo, quod propositis etiam præmiis invitandi sumus ad id, quod spontè, sine omni præmio, facere debebamus: illam ideo, quia præmia nostræ pietati largissima promittit, is, cujus quod sumus, omne sumus.

LXXV. Sed, *ô miseras hominum mentes & pectora cæca?* Nil Deus in nobis præter sua dona coronat, & tamen ex meritò debitoq; fieri omnia homo superciliosus cogitat, hinc coram severo Dei judicio consistens, orare

D 3

non

non erubuit Carthusianus quidam: *Da mihi Deus, quam ego merui, & tu mihi debes, vitam aeternam.* Sim. Pauli Evang. Dom. II. post Trin. verum:

*Si, nisi qui meritis regnum mereatur Olympi,  
Nemo beatus erit; nemo beatus erit.*

*Contra me-  
ritum B. O.*

LXXVI. Probat us hoc ita, 1. Quia opera nostra, disertè in articulo justificationis a gratia Dei, Rom. II. v. 6. Eph. 2. v. 8. 2. Tim. I. v. 9. & a merito Christi, Esa. 43. v. 25. Joh. I. v. 29. & a fide excluduntur, Rom. 3. v. 28. Galat. 2. vers. 16. 2. Quia opera nostra sunt imperfecta, id quod thesi 31. probatum: Imperfectum autem, in severo Dei judicio, tam nihil meretur, ut potius damnetur. Maledictus, qui non manserit in omnibus, Deuter. 27. v. 26. 3. Quia opera nostra debita sunt, Rom. 8. v. 12. ideoq; si nunquam peccaremus, debitam tamen Deo gratitudinem præstare nõ possemus, juxta illud: si omnia fecerimus, &c. Luc. 17. v. 10. 4. Quia opera nostra propriè non sunt nostra, sed Dei, per Spiritum S. eadem in nobis operantis, I. Cor. 4. v. 7. Phil. 2. v. 13. 5. Quia inter opera nostra & salutè aeternam nulla est proportio, Rom. 8. v. 13. Carent E. opera omnib. requisitis veri meriti, quod vult opus *gratuitum*, non ante *debitum*; opus *nostrum*, non *alterius*; opus *utile* illi, de quo meremur, imò opus *par & conveniens* illi, quod mereri volumus, quibus omnibus cum opera nostra destituantur, manet vita aeterna non *ὀφειλημα*, sed *χαρισμα* in Christo Jesu Domino nostro, Rom. 6. v. 23. Merito autem Christi sufficientissimo aliquid addere, hoc est lumini Solis clarissimo, exiguam, ipso meridie, lucernulam, inferre; hoc est vastissimo mari guttulam aquæ aliundè affundere; hoc est mille talentorum summæ per Christum exolutæ, plenioris solutionis causâ, rubiginosum teruncium adjicere; h. e. indumento longè preciosissimo ve-

*B. O. carent  
omnib. me-  
riti requisitis.*

stem

stem alicujus mendicabuli vel menstruatæ pannum appendere. Proin *Quisquis cum Ecclesia sapit Catholica, is contra gratiam pro meritis non disputabit, sed misericordiam & judicium cantabit, ut nec misericordiam recuset ingratus, nec judicium accuset invitus*, Aug. lib. ad Bonif.

LXXVII. Bellarmino hæc non arrident, ideò lib. 5. de Justif. c. 3. dicta Scripturæ, numero vel triginta congeffit, quibus meritum operum probare conatur. Nos speciatim singula ipsi damus conflictui, in genere autem, classibus Bellarminianis septem, hæc opponimus:

LXXIIX. 1. Licet Scriptura quandoq; mentionem faciat mercedis, tamen intelligit, non mercedem *debitam*, quæ opponitur *gratitudo*, sed *indebitam*, quæ opponitur *frustraneo*. Prior *legalis* est & operum meritum includit, posterior *Evangelica* est & omne meritum operum excludit. Summatim, datur operibus nostris merces, non ob meritum. Sed 1. ob *consecutionem*, quia lato sensu, omne id, quod labores insequitur, merces dicitur, licet detur ex gratiâ. 2. ob *promissionem*, quia Deus pollicitus est præmia benè operantibus, da machet Zusag Schulde / non nostri debiti, sed divini promissi respectu, unde Aug. *Deus noster debitor est, non ex commisso, sed ex promisso, non debendo sed promittendo se debitorem fecit.* serm. 31. in Lucam.

LXXIX. 2. Licet multoties Scriptura dicat: Deum unicuique reddere: *κατὰ τὰ ἔργα*, secundum opera, non tamen dicit ipsum reddere: *διὰ τὰ ἔργα* propter opera; hæc phrasæ meritum notat, illa autem qualitatem saltem & testimonium operum innuit, an scilicet mala sint an bona, reddetur enim unicuiq; prout gessit, sive bonum sive malum, 2 Cor. 5. v. 10. Apoc. 22. v. 12.

LXXX. 3. Li-

Septem  
classes ar-  
gumentorū  
Bellarminianæ  
pro meritis  
operum.

LXXX. 3. Licet quædam Scripturæ dicta ita  
sonent, ac si propter opera detur vita æterna, sciendum  
tamen particulas illas: *ENIM, QVIA, QVONIAM,*  
*IDEÀ, &c.* non semper esse causales, sed sæpè rationales,  
quæ conclusionem rationi præpositæ accommodant,  
sic dicimus: Solortus est, *QVIA* dies est; morbo labo-  
rat, *QVIA* pallidus est; Remissa sunt ei peccata multa,  
*QVIA* dilexit multum, Luc. 7. v. 47. hoc est, *IDEÒ* dilexit  
multum, condonatio enim debitorum præcesserat, v.  
42. Ejusmodi dicta etiam habentur i. Thess. 2. vers. 17.  
1. Tim. 1. v. 13. & alibi.

LXXXI. 4. Licet quædam dicta ad Dei justitiam  
provocent & coronam justitiæ nominent vitam æter-  
nam, non tamen eò id rapiendum, quasi opera nostro, in  
stricto justitiæ divinæ rigore, subsistere & aliquid mereri  
possent; sed quia Christi justitia nostra, 1. Cor. 1. v. 30. &  
quia Deus, quod gratis nobis promisit, pro justitia sua,  
servat. Dantur igitur nobis præmia ex justitia *fidelitatis*  
*divina*, cujus promissio indubia est, non ex *justitia equa-*  
*litatis humana*, cujus operatio imperfecta est & vitæ æter-  
næ nullo modo digna.

LXXXII. 5. Quædam dicta, quæ operibus vi-  
tam salutem & justitiam disertis verbis promittunt, illa  
expressè vel legalia sunt, vel Evangelica, si Legalia, tunc  
de legali etiam justitiâ agunt & præsupponunt ejusmodi  
perfectionem, quæ à nullo præstari potest; sin Evange-  
lica, fidem simul includunt, omnis pietatis matrem & ra-  
dicem.

LXXXIII. 6. Dicta, quæ pios vitæ æternæ dignos  
dicunt, illa intelligenda sunt de dignitate non Legali, sed  
Evangelicâ. Legaliter nemo dignus est vitæ æternæ, quia  
omnes omnium Sanctorum passiones indignæ ab Apo-  
stolo

Non censentur ad futuram gloriam, Rom. 8. vers. 13. Sed  
Evangelicè pii dicuntur regno Dei digni, dignitate non  
*activa sed passivâ, non inhaerente sed imputatâ, non merito-*  
*riâ, sed gratuita, ex dignissimo Christi merito redundan-*  
*te.* Agnoverunt hoc Sancti, hinc suam fatentur indi-  
gnitatem, dicentes: Sum minor *indignusq;* tuis Deus  
optime donis, Genes. 32. vers. 10. Non sum *dignus*, ut ejus  
solvam corrigia, Johan. 1. v. 27. Non sum *dignus*, ut intres  
sub tectum: Matth. 8. v. 8. Imò tota Triumphans Eccle-  
sia in Christi dignitate exultat, dicens: *Tu Domine Deus*  
*noster Dignus es accipere gloriam & honorem & virtutem,*  
Apocal. 4. vers. 10. h. e. non nostra dignitate sed tuâ di-  
gnatione has coronas gestamus: Gratias E. agimus Deo  
Patri qui *DIGNOS* nos fecit ad participandam sortem  
Sanctorum in luce, Col. 1. v. 12.

LXXXIV. 7. Justus Deus Judex est & ἀπεσω-  
πολήτης, non tamen inde sequitur quod bona opera me-  
reantur vitam æternam: sed ut salutem & justitiam Deus  
piis promissit, sic etiam, quoniam *Justus est & verax*, certo  
dabit, non tamen propter vel *non renatorum* meritum,  
*congrui vel renatorum meritum condigni*, sed propter uni-  
cum Christi meritum, quod qui verâ fide apprehendit,  
is salvabitur, sive mas sit, sive fœmina; sive servus, sive  
liber; sive Judæus, sive Græcus, quia Deus justus est &  
ἀπεσωπολήτης, Galat. 3. vers. 28. Actor. 10. vers. 35. Hæc  
nostra doctrina est de justitia & ἀπεσωπολήσει Dei, quæ  
longè aliter se habet, quàm Pontificiorum, qui quan-  
dam plus quam nimis crassè, ne dicam blasphemè, ita  
concluserunt: *Servitium gratis impensum obligat recipien-*  
*tem, &c. Sed servitium impensum Deo ex charitate, est GRA-*  
*TIS impensum, Ergo OBLIGAT Deum ad remuneratio-*  
*nem, TENETUR igitur reddere præmium, aliter esset IN-*  
*E GRA-*

*GRATVS & INIVSTE faceret cum tali, nisi redderet,*  
Guilielmus Antisidoriensis in summa aurea, l. 3. tract. 12.  
citante Dn. D. Hunnio in Labyr. Pap. th. 113.

LXXXV. *Sed jam tempus equum fumantia solvere  
colla, ideoque disputationem hanc nostram conclude-  
mus verbis Andreae Fricii Modrevij, Papistæ minimè illite-  
rati aut vulgaris, quæ (ex Osiandri Papa non papa L. de  
bonis operibus) in lib. ipsius 4. de Ecclesia c. 12. ita ha-  
bent: Nos verò, exclusa dignitate ab operibus nostris, submit-  
tamus nos omnipotenti Dei manui, ad promissiones divinas be-  
nignitatemq; largitoris nos convertendo. Si quam dignita-  
tem optamus, eam in Dei misericordia quaramus: Si perfectio-  
nem, eam in miserationibus Domini perscrutemur, si gloriationē,  
eam ex cruce Domini nostri Iesu Christi petamus, qui factus est  
nobis à Deo Sapientia, Iustitia, Sanctitas & Liberatio, ut,  
quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in  
Domino gloriatur.*



## Corollare.

*Calviniani & Jesuitæ Fratres Cadmei  
hic conspirant.*

I. Opera Bona causam justificationis &  
salutis vocando Bellarmin. lib. 4. de justificat.  
cap. 7. Calvin. lib. 3. Inst. cap. 4. §. 21. Piscat. lib.  
2. de justificat. cap. 3. Goclen. Disput. 9. Colleg.  
Philoso-Theolog.

II. Ope-

II. Opera Mala seu Peccata, etiam contra  
conscientiam admiffa, nec Spiritum sanctum  
nec Fidem excutere, ftatuendo. Concil. Trid.  
felf. 6. c. 15. Bellarmin. Orat. Panegyri. operi fuo  
præfix. Cofter. c. 4. Enchir. de fid. p. 178. Canif.  
p. 827. Catech. Major. Calvin. lib. 3. Inftit. c. 2.  
§. 11. 12. Beza. pag. 463. Col. Momp. Zanch.  
p. 65. Miscell. Kecker. lib. 3. fyft.  
Th. c. 7. p. 434. &c.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S





00 A 6341


ULB Halle 3  
002 919 516




W 02

Reise ✓







ΣΥΝΘΕΩ  
*De*  
BONIS OPERI-  
BUS, ET EORUM QUI-  
DEM, TUM A' FALSO' SIC DICTIS  
disparitate, tum necessitate, tum  
utilitate.

*Disputatio Theologica.*

*Quam.*

*Duce Spiritus sancto, Magistrâ scripturâ & comite precatione*

PRÆSIDE VERÒ:

*Reverendo & Clarissimo Viro*

D<sup>n</sup>. JOANNE HIMMELIO  
Pomerano, S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ.  
fautore suo observando,

*Pro consequendis in Theologiâ honoribus &  
privilegijs Doctoralibus,*

Decreto & autoritate inclutæ Facultatis Theolo-  
gicæ in celeberrimâ Salanâ,

*Publicæ censuræ submittit:*

M. REINHARDUS BAKIUS, S. ME-  
tropol. Magdeb. Eccles. Pastor.

*Ad diem 29. Octob. horis pro- & pomeridianis.*

J E N Æ

*Typis Tobie Steinmanni, Anno 1617.*

